

Ad studiosum Lectorem.

ESaias Propheta, studiose Lector, populum carnis privilegio superbientem, quum in spiritu videret ejus adversus salutare Christi doctrinas contumaciam, in hanc sententiam increpuit cap. xxix. v. 11. & 12. *Atque adeo extitit vobis facies omnis rei ut sermones libri ob signati: quo tradito, si homo literarum gnarus jubeatur legere, neget, se posse; quia ob signatus est. Quòd verò si eundem legere jubeatur is, qui non didicit literas, causetur, se literarum imperitum esse.* Quibus verbis cum prætextus verbum Dei contemnentium, quo eum contemptum palliare solent, tum eorum excæcatio indicatur, ut suæ vel ignaviæ vel libidini securè velificentur. Nimirum sive ii docti sint & res præclaras ac divinas tractare soliti, quòd non credant Deo, quòd non libenter auscultent, in promptu est causa; Velatam esse illam doctrinam & absconditam (quando vel cognoscendæ veritati obstant præjudicatæ ipsorum opiniones, ut repudient; vel quærendæ difficultas, ut prætermittant; vel amandæ cupiditas sua, ut fugiant) sive indocti & mysteriorum divinæ sapientiæ tractandorum insueti, quòd non orent, non interrogent, non vestigent; supra vocationem suam, supra ingenium & judicium, supra conditionem vitæ suæ id esse. An nostra ætas eadem versetur in culpa necne, non disputo. hoc ex istis verbis constat: Deum nos quidem de voluntate sua sufficienter edocere; non tamen cum ea semper claritate atque evidentia, ut nulla supersit causa hæsitandi, quærendi, inque abnegatione proprii judicii atque affectus inter admirationem cœlestis mysterii revelationem divinam expectandi. utque ita vel obscura vel aliena veritatis doctrina hominibus accidat, sæpenumero in causa esse ipsorum cupiditates, præsumtam sapientiam, denique circa res Dei somnolentiam ac locordiam. Quamobrem si in idem peccati & judicii exemplum incidere timemus, in tempore nobis & evigilandum & ad cœlestis sapientiæ fontem aperiendum omnis est conferenda cogitatio. Ad quam rem quum nos in scholastico genere vocatos sciamus, anniti convenit, ut id quàm uberrimo cum fructu faciamus. Quum autem ad fidem & obsequium verbi Dei necessarium sit, sensum ejus genuinum habere exploratum, ei reperiundo duo esse præcipua instrumenta, observavimus; primum, ut cognoscatur, quam